

DISCURSUS THEOLOGICUS CCLXXV.

Istud verò extra omnem est controversiam, temporalem potestatem & jurisdictionem Episcopis Romanis non fuisse concessam, multò minus super Imperatores, Reges, aut Principes se extulisse, verùm humiliter subiectos fuisse, & lubentissimo animo paruisse, neq; ullum affectasse primatum, dum modò ipsis liberum cultus divini exercitium, inter rabiem & tyrannidem istam, permetteretur.

CCLXXVI.

Satis ergò superq; ex modo dictis constat, in Ecclesia temporibus Apostolorum proximà, universalem Pontificatum non obtinuisse sed Ecclesias ab Episcopis, communibus operis & consiliis fuisse gubernatas. Unde porrò apparet, quid de Pontificum Epistolis decretalibus, vel excretalibus (ut Luth. vocavit) sentiendum sit, quando quidem in iis perpetuò jactatur Monarchia & dominatus primorum quoq; Episcoporum Romanorum, de quo tamen apud probatos priscosq; scriptores silentium est longè altissimum.

Questio Septima.

Quando, quo modo, quibusve mediis Monarchia Papalis in Ecclesiam fuerit introducta?

CCLXXVII.

Duplici argumentorum genere pro stabiliendo solio Papali utuntur Jesuite, ut patet ex l. 2. Bellar. c. 17. Alterum ostensivum vocant, quando ex ipsa Scriptura, Christi q; verbis & Ecclesiasticis scriptoribus, Monarchicum regimen probare presumunt; quod ipsum contrariis demonstrationibus hætenus infirmatum, & fortiter refutatum est: alterum (de quo dicendum restat) ad impossibile ducit, quando disputant, nullum tempus assignari posse, nullumq; Episcopum nominari, qui primus sibi Pontificatum rapuerit, & non potius à suo prædecessore acceperit, unde ipsi colligunt, ad Christum, Christi q; temporatandem veniendum esse, si certi quid de origine Romani primatus affirmare voluerimus.

CCLXXVIII.

Et sanè plausibiliter hæc urgere sciunt, præsertim ideò, quia nostri Theologi, in assignatione temporis, per omnia convenire non videntur, dum alii initium Papalis Monarchiæ in tertium, alii in sextum, alii in decimum, alii in aliud seculum referunt. In omni autem regiminis mutatio

tatio